

DISSERTATIO I.

DE

Nominis Etymologia & ejus Significatu.

Priusquam rem ipsam aggrediar, cum Sacratissimo Imperatore nostro, *in pr. instit. de testament. §. 2. inst. de obligat. quæ ex delict.* Nec non præcipuis Juris nostri compilatoribus Ulpiano, *in l. 1. ff. de just. & jur. l. 1. §. 1. ff. de pact. l. unic. §. 1. ff. de offic. Quæstor. Paulo, in l. 1. in pr. ff. de furtis.* Nominis Etymologiam ejusque significationem præmittere lubuit, cognitionem enim nominum sequitur cognitio rerum, Scipio gentilis *in libell. sing. orig. in pr.*

Descendit autem vox cambium ab antiquo verbo *campso* §. 1. hodie *Cambio: is: ire.* quod idem est ac *Permuto: as: are.* in qua significatione eâ quoque usus est compilator librorum feudalium. *1. feud. 22. §. 1. 5. feud. 1. in fin. & 1. feud. 4. §. 2. ibidemque Gothof. lit. d.* rectè igitur Germanis *Wechsel.*

Cambii porrò nomen quandoque accipitur generaliter pro §. 2. cujusque rei cum aliâ permutatione; quâ generalitate omnes permutationis species continentur, & cambium dicuntur, sive res una permutetur cum alia differente; quæ propriè est permutatio, *L. 1. ff. de contrah. empt. per tot.* sive pecunia permutetur cum re, propriè emptio venditio; *L. pen. Cod. de rer. permutat.* Frequentius ex usu & modo loquendi sumitur magis specialiter pro permutatione pecuniæ cum pecunia, &

certo nummorum negotiationis genere, Vogt *de camb. thes.* 1. lit. b. c. d. Bod. *de camb. thes.* 1. lit. a. & in hac significatione nos quoque vocabulum illud per decursum intelligemus, juxta L. 2. §. 1. ff. de suppellect. leg. quæ vult, verba ex moribus & comuni usu pronuntianda & exaudienda esse.

§. 3. Ab eodem verbo *cambio* illi, qui paratas habent pecunias ad permutandum servatâ permutationis æqualitate, vocantur cambiatores germanicè *Wechseler*; hodie dum insuper mercatores negotiationem cambialem exercentes nominari solent Bancherii à bancho, quod Italis tavola sive mensa dicitur, super qua pecuniæ numerari solent. Bod. *de camb. thes.* 1. lit. a.

§. 4. In feriis nomen Bancheriorum tribuitur omnibus mercatoribus, qui finitis feriis bilantium exhibent secundum regulas & leges feriarum, quorum bancha sunt scartafaccia; de quibus *inf. Dissert.* 12. §. 5.

§. 5. Per banchum in hac materia denotatur certum negotiationis genus in pecunia consistens, quo nummi apud Bancherios in securitatem creditorum & utilitatem debitorum numerati deponuntur, sic ut dominium in hos transferatur, illi verò ad libitum nummos depositos recipere possint. Bod. *thes.* 1. lit. a. & *Authores ab eo allegati.*

§. 6. Hujusmodi bancha publicâ Superiorum autoritate confirmata tempore Imperatoris Justiniani, imò & ante in usu fuisse argumento sunt; L. 2. §. 2. L. 8. ff. deposit, L. 24. ff. de reb. author. jud. L. 50. ff. de administr. tut. Novell. 136. qualia Romæ, Venetiis, Panormi, Neapoli aliisque in locis fuisse testatur Raph. de turri *de camb. disp.* 1. quest. 1. n. 42. aut quoniam propter frequentes Bancheriorum decoctiones
nemo

nemo amplius fidebat, usus horum banchorum fere in defuetudinem abiit, quibusdam tamen in Emporiis adhuc vigent, publicâ Magistratus autoritate constituta, quorum celeberrima extant Venetiis, Amstelodami, Hamburgi &c.

Litteræ cambii quoque dicuntur ex eo, quod cambiatur §. 7. pecunia pro litteris, neque per hoc videtur prodigus mercator, dummodo is, à quo recipit litteras sit solvendo, quia hæ litteræ postmodum easdem pecunias cum multo fœnore restituant, ut ipsi mercatores optimè nôrunt.

DISSERTATIO II.

De Origine & Progressu Cambiorum.

Habitâ vocabulorum in præsentī frequentius occurrentium Etymologiā non incommode me facturum arbitror, si de cambiis tractaturus rem ipsam à fonte atque origine accersero, idque præcipuè, ne quis falsâ perſuasionē inductus, jus quasi singulare, utpote Juri communi in plurimis contrarium rejiciat, & de eo verba facere indignum esse autumet.

Est enim cambium, quo hodie utimur, contractus antiquis §. 1. planè incognitus, & urgente necessitate ob bonum publicum introductus, quamobrem in Jure Romano nullus reperitur textus, qui de eo in terminis loquatur, quantumvis enim in *L. 2. §. 7. ff. de eo quod cert. loc.* mentio fiat stipulationis, quā quis contrahendo promittit, se certo loco daturum & soluturum, sic quidem, ut is, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quàm in quo promisit, solvere invito stipulatore possit, *L. 9. eod. tit.* hanc tamen toto cælo differre à contractu